



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VI. An Societas Iesv contemplatiua, an potius actiua vitam
complectatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

bum Dei, & ministrare mensis. Huc etiam spectat ille modus vocationis Christi Matth. 8. & Luc. 9. *Sequere me, & statim, Sine, ut moriui s'p liant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Fuit ergo illa religio ex proprio, ac peculiari fine religio clericorum.

VII.
De antiquitate canonico-
rum regulari-
um va-
rietas.

Verumtamen, quamuis status religiosus continuè postea in clericis conseruatus sit etiam per se, quoad religionem clericorum; non tamen mihi constat fuisse conseruatum in ordine ad illum particularem finem, seu quoad actiones, quæ versantur circa corpus Christi mysticum; seu quoad illas, quæ versantur circa corpus Christi verum, quomodo dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2. religionem clericorum regularium per se esse religionem clericorum; quia directè ordinatur ad eas actiones, quæ in diuinis mysteriis perficiuntur: de qua religione licet communiter censeatur à D. Augustino incepisse: multi tamen existimant Augustinum potius fuisse restauratorem, & reformatorem illius, quæ iam antea erat ab Apostolis deriuata. Quod sentit Vincentius in speculo historiali lib. 26. cap. 51. Nauclerus in chronographia volumin. 2. generatione 42. qui dicunt canonicos regulares ex Apostolorum institutis originem trahere, & sumitur ex Benedicto XI. in procemio ad constitutiones canonicorum regularium. Quinimò illum ordinem iam inde ab Apostolis incepisse dixit Nauar. tractatu 4. de regularibus, cap. statum 29. quæst. 3. numer. 8. qui id colligit ex sententia Pij IV. quam ibi refert, lata in fauorem canonicorum regularium contra monachos S. Benedicti, in lite de iure prædicandi, & quâuis in priori sententia solùm dicatur, *De erno, & declaramus canonicos regulares vti clericos, &c.* vbi non titulo antiquitatis, sed titulo clericatus eos præfert; tamen habet illa sententia fundamentum in eo, quod suprà diximus, religionem clericorum in Apostolis fuisse institutam. Vide Roserum de religione Ecclesiastica, tract. 34. cap. 3. Ioannem de Nigra Valle in Epilogo chronicorum lib. 13. cap. 8. Robertum, tract. de tuendo cœlibatu. tom. 2. tit. de ordinum primordiis. Volater in tropologia lib. 21. in principio. Antonin. 2. p. histor. tit. 15. cap. 16. §. 7. Non tamen satis certò constat religionem clericorum perpetua traditione, & absque interruptione vlla fuisse continuatam vsque ad Augustini tempora. Et aliqui reuocant in dubium, an à tempore Augustini vsque nunc hic ordo regularium canonicorum continuè durauerit. Alij distinguendum putant inter canonicos cathedrales, & regulares, vt de varietate religionum dictum est tractatu præcedenti. Quidquid verò circa hoc sentiatur, hic ordo dicitur cepisse in Apostolis, quatenus ordo clericorum per se in illis incepit, & ex parte retinuit finem illius Apostolicæ religionis, scilicet, quoad actiones, quæ pertinent ad diuina mysteria, diuinamque contemplationem. Ad eundem ergo modum non ineptè dicere possumus S. Ignatium non tam nouam religionem instituisse, quàm eam, quæ in Apostolis fuit, etiam quoad proprium finem eius, scilicet, Euangelij prædicationem, ac fidei propagationem, & defensionem, instaurasse. Nā licet verum sit, illum religionis modum, cum illo particulari fine, & medijs illi proportionatis, non fuisse cōtinua successione conseruatum in Ecclesia (quia certum est tempore, quo vixit B. Ignatius, nullam talem religionem clericorum fuisse in Ecclesia: quanto autem tempore post Apostolorum tempora durauerit, incertum etiam est) nihilominus videtur planè B. Ignatius excitasse religionem illi simillimam in his, quæ substantialia sunt; scilicet in fine, & medijs, atque adeò in modo viuendi, & imitandi Christum in ordine ad salutem animarum. Nam sicut Apostoli professi sunt, se relinquere omnia

Rediunt ad
institutum
eorum.

propter Euangelium prædicandum, ita etiam huius religionis alumni: Et sicut illi ad hunc finem peculiariter se Christo consecrarunt, vt quocunque vellet, eos mitteret ad salutem animarum procurandam, & post Christi mortem in eadem obedientia sub Petro permanserunt: ita etiam hi ad eundem finem se Vicario Christi deuouent. Ac denique sicut illi ob hanc causam Christum in exteriori vitæ genere communi, & in peregrinationibus continuè pro salute animarum imitati sunt; ita & his dixit Pius IV. in 1. bulla sua. *Si nomen Iesu. Imitantur, Imitantur, doctrina, & exemplis Domini nostri Iesu Christi imitantur, & eius vestigia sequuntur.* Ex quo principio ratio multarum rerum reddi potest, quæ in Societate aliquibus noua videntur, re tamen vera, noua non sunt, sed renouata, aut ex illa prima antiquitate repetita, vt tali fini, & tali modo religionis accommodata.

Terriò, ex his faciliè soluitur ratio dubitandi in principio tacta; & quomodo non obstat dictæ resolutioni, plures esse in Societate non clericos. Nam in huiusmodi statu considerandum est id, quod est per se, non verò quod per accidens, vt D. Thom. dixit. Adde etiam considerandum esse id, quod est ratione sui, & quod est ratione alterius; nam ab eo quod est per se, seu gratia sui, sumitur denominatio, & quasi species religionis, quæ clericorum esse dicitur. In Societate ergo status clericorum per se est, & gratia sui, vt explicatum est, & ideo ad solennem professionem non nisi sacerdotes in ea admittuntur, vt dicitur etiam in examine cap. 1. §. 8. vt lib. 6. cap. 1. nu. 4. afferemus. Illi verò, qui clerici non sunt, duobus modis in Societate recipiuntur, primo vt in ea disponantur ad sacerdotium, & ad illum gradum Societatis, qui sacerdotium requirit, iuxta illud Hieronymi epist. 4. ad Rufinum: *Ite age in monasterio, vt clericus esse merear, vt adolefcentiam in monasterio, &c.* Et ideo manifestum est non esse præter institutum religionis clericorum; hæc intentione recipere plures, qui clerici non sunt, alius conseruari non posset, nec sacerdotes habere, qui pro dignitate sacerdotale munus exercerent prout religiosos decet. Secundo modo recipiuntur laici in corporale, seu temporale sacerdotium adiutorium, quia vel non expedit, aut decet omnia hæc munera per sacerdotes exerceri, vel non expedit sacerdotes impediri à verbo Dei, & ministrare mensis, vt dicitur Act. 6. tractabiturque inferius in lib. 7. cap. 3. à num. 2. Vnde opposita ratione contingit in religionibus clericorum, & monachorum: nam in illis iuxta antiquam, & primæuam institutionem, per se erant laici, clerici vero vel assumebantur, vel fiebant quantum necesse erat, ad spirituale regimen, vel adiutorium aliorum, vt in tractatu superiori visum est. In hac autem religione clerici sunt per se, ac ex primæua institutione; laici verò assumuntur quantum necesse est ad temporale adiutorium, vel sacerdotum, vel reliquorum etiam, qui ad sacerdotum tendunt; nam hi etiam propter suorum laborem temporalijs ministerijs ex professo vacare non possunt. Quartiò, & vltimò possumus ex dictis coniecturam facere perfectionis huius instituti; sed de hoc paulo inferius in cap. 7. dicetur commodius.

CAPVT VI.

Utrum Societas contemplatiua, vel actiua, ut tam amplectatur.

Distingnimus in superiori tractatu cum D. Thom. 2. 2. quæst. 188. tres ordines, seu species religionis; cum enim omnes tendant ad perfectionem charitatis, quædam illam quarunt per viam dignitatis

tantum contemplationis, quæ per se perficit amorem erga Deum. Aliæ illam inquirunt per actiones amoris, & misericordias erga proximos; nam cum illæ etiam sint propter Deum, etiam caritas erga Deum illo modo perficitur. Aliæ denique utramque viam complectuntur, quorum vita mista dicitur ex contemplatione, & actione. Est autem aduertendum, ut supra tetigit, nullâ esse posse in moralibus hominibus congregationem ad eam contemplatiuam, quin actioni etiam aliqua ex parte vacet, & corporalibus exercitationibus, ut constat ex Basilio in regulis fufius disputatis regul. 35. cum tamen eius religio maximè contemplatiua fuerit: Et è conuerso nulla etiam esse potest religio ad eam actiuam, quin aliquid de contemplatione participet, quia sine oratione, & laude Dei nulla potest esse perfecta religio. Quapropter videri potest omnis religio esse mista: non tamen ita est. Nam aliquando religio per se solum intendit contemplationem: de actione verò solum id accipit, quod necessarium est, vel ad disponendum hominem ad contemplationem, vel ad leuandum rædium, vel ad sustentandum, vel subleuandum ipsum mortale corpus, & hæc dicitur tantum contemplatiua. Aliæ verò religio è contrario per se solum intendit actionem; de contemplatione verò tantum suscipit, quod vel ad actionem ipsam perfectè agendam necessarium est, vel certè ad reddendum Deo debitum, ac religiosum cultum, & hæc dicitur purè actiua, quia vnaquæque denominatur ab eo, quod est sibi proprium, & peculiare per se intentum. Mista ergo dicitur, quando vtrumque per se intendit proprio, & speciali modo. Cum enim vtraque vita per se honesta sit, & amabilis, & alioqui inter se non pugnet, possunt simul propter se intendi; imò intendi debent, quantum & caritas veritatis, & necessitas charitatis postulauerint, ut verbis vtar Augustini lib. 19. de ciuitate cap. 19. Et hoc genus vitæ dixit pertinere ad Prælatos Gregor. in pastor. p. 2. cap. 1. dicens: *Sic rector in actione præcipuus præuincit in contemplatione suspensius.* Quæ verba referens D. Thom. 2. 2. quæst. 182. art. 1. ad 1. ait: *Ad prælatos non solum pertinet vita actiua, sed etiam debent esse excellentes in vita contemplatiua.*

Societatem ex vi sui instituti mistam religionem esse.

II. Dico ergo, Societatem ex vi sui instituti vtrumque vitæ genus per se, ac principaliter intendere, cum omni perfectione, quâ tum moraliter fieri potest. Quæ quidem assertio quoad eam partem, quæ pertinet ad vitam actiuam multa probatione non indiget. Nam cum ad vitam actiuam pertineant omnes actiones, quæ versantur circa proximum, & ex supradictis satis in cap. 2. constat, principale munus huius religionis esse spirituale salutem, & perfectionem proximorum procurare, & ad illum omnibus congruentibus medijs vti, manifestum est, per se amplecti actiuam vitam, & cum magna perfectione illam proficere. Et quoniam de spiritualibus actionibus, seu medijs satis supra in c. 3. dictum est, hic solum addimus, religionem hanc non solum opera misericordie spiritualia, sed etiam corporalia ex vi sui instituti exercere, qualia sunt infirmos in xenodochijs visitare, consolari, & eis inservire si necesse sit, adiuuare eos, qui in carceribus detinentur, & similia, quæ distinctè enumerantur in 7. p. Constitut. cap. 4. §. 9. vbi dicitur: *His corporalibus præstatis operibus, quantum spiritualia, quæ maiora sunt muneribus, permittent, quantumque virescunt, incumbunt.* In quibus verbis magna perfectio huius instituti quoad hanc partem considerari potest. Cum enim ea pars vitæ actiue, quæ ad spirituale profectum or-

dinatur, multo excellensior sit, illa est primariò, ac per se in hac religione intenta. Quia verò alia pars quæ pertinet ad subueniendum corpori, & per se honesta est, ac necessaria, & multum etiam iuuat ad spirituale lucrum animarum, ideo secundariò, & quasi propter aliud hanc etiam partem amplectitur Societas, cum hac tamen moderatione, ut talia opera spiritualibus inseruiant, vel saltem illa non impendant, & præter hanc nulla adhibetur limitatio, sed potius adiungitur illa extensio, quantum virescunt.

Ex his autem non solum videtur probari hæc pars, sed etiam difficilis redditur altera. Qui enim fieri potest ut cum tali genere vitæ actiue simul esse possit perfectio vitæ contemplatiue per se intenta? Quamuis enim hæc duæ vitæ ex ea parte, qua honestæ sunt, & sanctæ, non sint contrariæ, sed sorores; ex ea tamen parte, qua vna requirit otium, alia negotium, non videntur simul esse posse in gradu intenso, ut sic dicam, id est, in magna, ac per se intenta perfectione. Quia ut argumentatur D. Thom. 2. 2. quæstione 182. art. 3. cū humana capacitas sit valde limitata, non potest simul intendere contemplationi summæ veritatis, & amoris, ac dulcedini eius, quod est otium vitæ contemplatiue, & operibus misericordie erga proximos, quod est negotium vitæ actiue. Qui ergo fieri potest, ut Societas cum tanto negotio, & occupatione circa proximos, vitam contemplatiuam, non vtcunque, sed per se, ac perfectè coniungere valeat?

Nihilominus partem illam verissimam esse ex verbis ipsius instituti, & ex vi, ac rebus ipsis, & ratione etiam conuincere possumus. Primum enim hoc mihi videntur significare verba illa B. Ignatii in Examine cap. 1. §. 2. *Finit huius Societatis est non solum salus, ac perfectio propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem, &c.* Nam huic perfectioni potissimum vacatur per otium vitæ contemplatiue, quod verbum ipsum vocandi indicat. Hoc etiam supponit in 3. p. Constitutionum cap. 1. §. 10. cum inquit: *Doteantur quomodo ab illusionibus demonis in sub spiritualibus exercitationibus caueant.* Et infra. *Ad veras, & idasque virtutes insistant, sine plures adfint visitationes spirituales, siue pauciores.* Vbi præsertim agit de modo spiritualiter educandi eos, qui in probatione manent, quem constat maiori ex parte per exercitia vitæ contemplatiue fieri in Societate. Nam statim in principio, in rebus spiritualibus instituuntur, & diu exercentur, in his præsertim, quæ ad viam purgatiuam pertinent, & ideo primum experimentum nouitiorum est, *In spiritualibus exercitijs mentem vnam, plus minusve, versari, id est, in examinanda conscientia, & anteacta viæ recognoscenda, & confessione generalis faciendâ, ac peccatorum suorum meditatione, tum in contemplatione verum, ac mysteriorum vitæ, mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi redemptoris nostri, tum etiam in oratione mentali, & vocali iuxta cuiusque capitulum prout in Domino ed. it fuerint, se exercere,* ut dicitur in Examine cap. 4. §. 10. Postea verò in discursu probationis, in his maximè spiritualibus exercitijs instruuntur, ad quæ pertinent frequens & debitus vsus sacramentorum confessionis, & communionis, deuote etiam quotidie audire Missam, vel in ea ministrare; modus etiam legendi, meditandi, & orandi cum fructu; & ideo in 3. p. Constit. cap. 1. §. 20. provideatur, ut de his omnibus frequens sit sermo, & eruditio, ac cura, ut non solum addiscantur, & memoria teneantur, sed ut etiam exercentur, & adiunguntur illa notanda verba. *Omnes iuum tempus rebus spiritualibus impendant, & deuotioni quærenda pro mensura diuina gratia sibi communicanda insistant.* Deinde hæc spiritualia exercitia, etiam studiorum tempore continuanda sunt iuxta easdem constitutiones. Quamuis enim propter studiorum laborem, & oc-

III.

Alterius partem diffinitius proponitur.

IV.

Ostenditur eam non prædictam partem Societatem per se actiuam vitam contemplatiuam amplecti, primo ex ipsius instituti verbis.

cupationem aliquid de temporis diuturnitate, & de actionum spiritualium frequentia detrahatur, tamen illud onus, quod sufficiens ad maiorem Dei gloriam videtur, imponitur: quod si perfecte seruetur, ut in eisdem constitutionibus ordinatur, vera continet magnam perfectionem vitæ contemplatiuæ, ut sunt quotidiana lectio spiritualis, quæ merito à D. Thom. inter opera vitæ contemplatiuæ numeratur 2. 2. quæst. 188. art. 6. quotidiana etiam oratio, & meditatio mentalis, saltem per integram horam; bis in die per quadrantem conscientia examinare, sacrificio Missæ interesse, Rosarium Virginis, & alias proprias, & peculiare deuotiones iuxta confessoris, vel superioris iudicium, explere; quæ omnia in prædictis locis constitutionum continentur, & in congregationibus generalibus postea aucta, & confirmata sunt, & si necesse fuerit, augeri posse dicuntur à Præposito Generali, & in aliis etiam regulis sepe commendantur. Post studia vero hæc omnia à professis, & formatis coadiutoribus seruanda sunt, nulla tamen limitatio eis adhibetur, quia ut de illis in 3. p. Constitut. cap. 3. Tunc dicitur: dicitur eos viros spirituales futuros, & qui in via Christi Domini nostri profecerint, ut per eam currere possint, quæ eorum corpora valendo, & externa occupati uis charitatis, & obedientie permittent. Et ideo subditur ibidem: Non videtur in his, quæ ad orationem, medi- tationem, & studium pertinent, &c. illa regula esse præscribenda. Additur verò ibidem in declaratione, nihilominus superioris cura semper esse cauere, ne huiusmodi etiam personæ in spiritualibus exercitiis deficiant, vel excedant. Itaque ex modo, & prouidentia instituti satis constat ea, quæ pertinent ad vitam contemplatiuam, primum, ac præcipuum locum in eo tenere.

V. Secundo possumus hoc ex ipso usu, & effectibus ostendere. Constat enim experientia generali, eos (generaliter loquimur) qui hoc institutum proficiunt, & obseruant, esse spirituales viros, multum in spiritualibus rebus instructos, & orationi, atque contemplationi editos; multosque cognouimus in hoc genere eximios, quia perfecte illud obseruare studuerunt; ergo signum est ipsum institutum ex primaria intentione sua in hunc finem tendere; nam in his rebus, quæ solum per occasionem, vel ratione alterius assumuntur, non solet vel tanta diligentia adhiberi, vel tam copiosus fructus vniuersaliter, vel ut plurimum colligi. Nec solum hinc elicitur intendere Societatem principaliter hunc finem, sed etiam habere media efficacissima & accommodatissima ad illum assequendum: nam (ut Christus Dominus dixit Matth. 7.) ex fructibus arboris gnoscentur. Possumus etiam addere aliam coniecturam, ex effectibus quoque sumptam, quia experientia etiam compertum est, fideles Societatis operarios, ac prædicatores, alios etiam seculares inducere ad exercitium orandi, & contemplandi; eosque egregie ad illud recte agendum instruere, & per Dei gratiam habere hoc peculiare donum illuminandi, & dirigendi homines in hac vita spirituali, quæ principaliter contemplatiua est. Ergo signum manifestum est, alumnos huius religionis ex vi sui instituti contemplatiuos esse debere, & non quomodocunque, sed ita ut viros contemplatiuos possint efficere. Etenim si in aliqua disciplina illud i. Metaph. cap. 1. verum est, Signum sapientis est, p. s. docere. Et si de aliqua etiam causa recte dicitur, perfectiorem esse ceteris paribus, quæ potest aliis se communicare, utrumque maximè verum habet in hoc genere cause, & doctrinæ. Nam hæc via contemplatiua adeo est spiritualis, & interna, ut nemo possit de ea sapienter loqui, vel utiliter, ac sine magno periculo alios in ea instruere, nisi prius ipse illam

didicerit, multumque expertus sit. Nam licet theologica scientia necessaria sit, multumque iuuare possit ad hoc spirituale, & mysticum magisterium, tamen sine proprio usu, & experientia non sufficit, quia actiones, & motiones vitæ contemplatiuæ specialiter pendunt ex inspiratione, & instinctu Spiritus sancti, cuius peculiare modis, & effectus, nemo scit nisi qui accipit. Apocal. 2. Neque etiam refert, quod in hoc genere doctrinæ homo non est principaliter doctor, sed minister Spiritus sancti, qui principaliter docere debet; non est enim instrumentum mortuum, sed viuum, quod plantare & rigare debet consulendo, iudicando, & monendo; & ideo ut sit aptum instrumentum, oportet, ut ad huiusmodi actiones, & scientiam, & experientiam habeat accommodatam. Spiritus sanctus autem licet pro sua potestate quocunque valeat instrumentum, uti, regulariter tamen, & secundum legem ordinariam, vitur ministris accommodatis, & optimè dispositis ad tale ministerium. Et ita experientia compertum est, tum prædicatorem habere vim ad sanctificandas animas suo ministerio, quando ipse sanctus est, & sic de aliis, cum ergo eadem experientia nos doceat per hanc religionem Deum promouere in Ecclesia spiritum orandi & contemplandi, signum perfectò est in ea parare sibi ministros aptos, & accommodatos, recteque dispositos ad hoc ministerium.

Tertio ex hoc ipso effectu, illum ut finem considerando, colligere possumus rationem à priori huius veritatis. Nam Societas, ut saepe diximus, principaliter ordinatur ad propriam, & proximorum perfectionem, in quo fine, tria considerat. Primum est perfectio propria, quæ principaliter consistit in coniunctione ad Deum, & ex hac parte maximè requiritur contemplationem. Secundum est perfectio proximorum. Est enim attentè considerandum in bullis, & constitutionibus Societatis, non sine mysterio sepius dici, ac repeti, finem eius non solum elicumbere correctioni aut saluti, sed etiam perfectioni proximorum; unde ad finem huius instituti pertinet proximum iuuare & instruere in his omnibus, quæ ad hunc finem necessaria sunt; inter quæ potissimum locum tenet contemplatio; unde etiam ex hoc capite necesse est, ut hoc institutum ea prius tendat, ut viros profectores faciat contemplatiuos. Tertium, quod hoc maximè declarat, est debitus ordo inter illa duo, sine quo ordine neutra perfectio, propria, vel aliena comparari poterit. Est autem hic ordo, ut prius perficiatur minister, per quem alij perficiendi sunt, propter ea, quæ in proxima ratione dicta sunt. Unde Dionys. cap. 3. Eccles. hierarch. De eius finibus (inquit) diuinarum rerum ordo est, ut prius communicetur, atque impletur sanctis, qui per illum discipuli sunt; ceteri, diuinitatis, & sic alius tradat. Verum est ibi loqui Dionysium de participatione Eucharistiæ, quam prius debet sacerdos sumere, quam aliis tribuere: tamen in illo ordine hunc, de quo agimus, esse significatum Dionysius intellexit. Unde subdit. Quia et hi, qui diuinum ministerium (priusquam signa consecrationis) capaces efficiuntur, alii uidentur audacter, impuri, atque sacrilegi exirant omni consensu. Ut enim in solis radiis renoues, lampadesque substantie, prima in solis radiis renoues, sicque exuberantem lucem in subsequentes solis vice transfundunt: ita non sine periculo diuinis in rebus quibusque aliis se diuinem præstare præsumunt, qui non per omnia euasit similis Deo. Iam verò Bernardus multus est in suadendo iis qui alios lucrari conantur, se prius exhibeant comitibus, quam canaliculis, &c. Videri potest serm. 1. in Cant. & lib. 2. de consider. cap. 3. Atque hic ordo videtur à Christo etiam significari Luc. 11. cum suis discipulis dicitur.

Manite in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Ergo ratione talis ordinis necesse est, vt primarius finis huius religionis sit contemplatio; tunc enim vtique ille finis comparari poterit, quando (vt Gregor. dixit homil. 5. super Ezechiel.) *in die iores fuit int viri perfecti, qui bona celestia, que contemplari poterant, fratribus denuntiant, eorum animas in amorem inuicem a charitatis accendunt; loquentes autem verbis suis corda audientium ferunt, & induunt.* Cum ergo finis huius instituti sit, & perfectos viros, & perfectos ministros, aliosque perficientes generare, fieri non potest, quin finis eius etiam sit eos contemplatiuos efficere; ergo necesse est vt ad hunc finem media etiam habeat accommodata; alias non esset recte præstitum, nec tanta approbatione institutum ipsum fuisset dignum.

VII. *Inductio enim rationis confirmatur.*

Hæc autem ratio optime confirmatur ex illis actionibus, per quas Societas principaliter exercet vitam actiuam, quatenus ad suum institutum pertinet, quæ sunt spirituales actiones & ad animarum profectum proximæ, ac per se ordinantur, alia enim opera misericordie corporalis, sicut secundaria sunt, ita etiam rariora, & ideo, & parum extrahere possunt ab operationibus vitæ contemplatiuæ, & aliunde potius iuuant humanam infirmitatem, quæ non valet semper surgere ad contemplanda celestia; & ideo necesse est, vt aliquando ad actiuam redeat, & quæ potest bona agere non recuset, vt dixit Gregor. dict. homil. 5. in Ezechiel. Aliæ ergo spirituales actiones tales sunt, vt licet, quatenus ad proximos referuntur, formaliter pertineant ad vitam actiuam, nihilominus ratione materie in qua versantur, intime, ac eminenter includant, ac supponant vitam contemplatiuam, præsertim si modo perfectæ exercendæ sint. Ergo institutum Societatis, quod ad has actiones perfectè exercendas ordinatur, necessariò prius, & principalius ordinari debet ad vitam contemplatiuam, tanquam ad primum fontem, & principium talium actionum. Assumptum declaro in doctrinæ actione, quæ ferè in omnibus his actionibus spiritualibus intime includitur. De doctrina igitur agens D. Tho. secunda secunda questione 181. art. 3. quaerit, vitum docere sit actus vitæ contemplatiuæ, vel actiuæ; & respondet, licet respectu discipulorum sit actus virtutis actiuæ, ex parte obiecti, & materie, si doctrina sit perfectæ, & de rebus diuinis, potius esse actum vitæ contemplatiuæ, quia est conceptus alicuius virtutis intelligibilis, in cuius consideratione, & amore homo delectatur. Afferret Augustinum sermon. 27. de verbis Domini, dicentem, *Eligant sibi partem maiorem, quam non auferetur ab eis, vacent verbo, inhiant virtutis dulcedini, occupentur circa scientiam salutis, in quibus verbis, & doctrinam, & verbum Dei inter actus vitæ contemplatiuæ numerat.* Dicit fortasse aliquis, Augustinum non loqui de doctrina ex parte docentis, sed ex parte discipulis; cum dicit *vacare verbo*, non intelligere proferendum, sed audiendum, sicut vacabat Maria, quando *sederet pedes Domini audiebatur verbum illius.* Et sicut inferius dicit idem Augustinus. *Nam & modo inde aliquid agimus remoti a negotiis, si possitis familiaribus curis, conuentibus, statibus, auditis.* At enim si audire verbum Dei, est actus vitæ contemplatiuæ, cur non magis docere? Etenim, si disciplinam consideremus per ordinem tantum ad discipulum, non est proprie actus vitæ contemplatiuæ, imò neque est tam actio quam receptio. Pertinet ergo ad vitam contemplatiuam ratione termini, seu effectus, & in ordine ad obiectum ipsius disciplinæ, quatenus est aliqua veritas, ad quam cum delectatione considerandam, auditores per disciplinam eleuantur, multo ergo magis doctrina ratione suæ causæ, & principij, est actus vitæ contemplatiuæ. Cum ergo spirituales actiones intime habeant adiun-

ctam doctrinam de rebus diuinis (hæc enim non solum per publicas lectiones, & conciones, sed etiam in secreta confessione, & in secreto colloquio, ac instructione traditur, non potest talis actiuæ vitæ à contemplatiuâ separari, imò esse debet legitimus partus eius: nam tunc doctrina rectè, & efficaciter traditur, quando ex diuina, & interna contemplatione procedit, iuxta illud Psal. 144. *Memoriam abundantie suauitatis tuæ eructabunt, & in iustitia tua exultabunt.* Atque hoc præcipue explicare possumus in quodam speciali medio, quo Societas vitur ad spirituale bonum proximorum, quod est tradere illis spiritualia exercitia (de quibus infra à capite 1. libro 9. ex professo erit sermo.) Nam hæc actio, si in ordine ad proximum consideretur, sine dubio est opus vitæ actiuæ; & nihilominus secundum se intime spectatum, opus est vitæ contemplatiuæ respectu materie, seu obiecti in quo versatur, ergo vsus talis mediij, seu actionis intrinsecè includit contemplationem. Quocirca, sicut D. Thom. alias obicere solet, diuinam, seu theologiam scientiam esse eminenter practicam, & speculatiuam, principalius verò speculatiuam esse; ita nos dicere possumus, actiones has esse eminenter actiuas, & contemplatiuæ vitæ, principalius autem contemplatiuæ, illa enim est quasi vita, & anima talium actionum. Nec refert quod actiones ille aliquando fieri possint à viris, nihil, aut parum in contemplatione exercitatis: quia hic non consideramus has actiones prout ab illis, vel illis fiunt, sed prout fieri debent ex vi instituti: sic enim fieri debent, vt fructus contemplationis, & vt formata interiori spiritu, quia tunc erunt perfectæ, & efficaces ad finem instituti; aliter verò factæ erunt inefficaces, & quasi mortuæ, magisque in sola specie exteriori materialiter apparentes, quam veræ, quantum est ex parte ministrorum, vt excludamus, & efficaciam sacramentorum ex opere operato, & quam Spiritus S. ex suamet liberalitate adiungere potest.

Vltimò confirmari potest hic discursus ex resolutione superioris capitis, in quo diximus Societatem per se esse religionem sacerdotum: religio enim sacerdotum ad opera vitæ contemplatiuæ ordinatur, vt ex D. Thom. colligo 2. 2. quaest. 189. artic. 8. ad 2. vbi affirmat de religione canonicorum regularium: Est autem eadem ratio in quacunque religione, quæ per se sit presbyterorum religio. Duplicita enim sunt opera per se pertinentia ad sacerdotalem ordinem. Priora, & præcipua sunt illa, quæ aguntur in diuinis mysterijs, & versantur circa corpus Christi. Verum alia sunt ea, quæ versantur circa corpus mysticum, vt sunt actiones illæ spirituales, quæ ad salutem proximorum ordinantur, de quibus proximè antea loquebamur. Sicut ergo hæc posteriores actiones supponunt priores, ita religio, quæ per se ordinatur ad perficiendos sacerdotes, vt sacerdotes sunt (hoc est enim esse per se religionem sacerdotum) primariò tendere debet ad perficiendos illos in ordine ad priores actiones, quæ spectant ad diuina mysteria, alioqui ineptissimè esset instituta religio. Vnde, quia prius (vt aiunt) separatur à posteriori, bene potest aliqua religio clericorum esse instituta ad perficiendos sacerdotes in his actionibus, quæ in diuinis mysterijs peragendis consistunt, quanuis vltèrius non extendatur ad actiones erga proximos; eritque talis religio contemplatiua, talisque est religio canonicorum regularium, ex D. Thomæ sententia loco proximè citato. At verò è conuerso, posterius non separatur à priori, neque accessorium à principali, & ideo non potest esse bene instituta religio, quæ sacerdotes perficiat in actionibus, erga proximum, & non multo magis eos perficere intendat in actionibus, circa Deum, & quæ in diuinis

VIII. *Confirmatur vltima idem discussio.*

mysterijs aguntur. Societas ergo, quæ optimè & Spiritus sancti instinctu instituta; & probata est, ad perficiendū sacerdotes, quatenus sacerdotes sunt, & se extendit ad perficiendos illos in actionibus sacerdotilibus erga proximos, multo magis intendit eos perficere in his omnibus, quæ in diuinis mysterijs aguntur. Quod etiam quantum ex signis exterioribus ostendi potest, effectus ipse manifestat. Quamuis enim hæc religio (propter alias rationes diuini obsequij quas infra c. 8. videbimus) cantu, & alijs solennitatibus externis in his mysterijs non vatur, quod ad decentiam, & reuerentiam eorum spectat, nullibi cum maiori decore tractantur. Nulla quæ maior cura huic religioni esse solet, quam ut ea quæ pertinent ad diuinum cultum, & ad venerationem Sacrosancti sacrificij, & ad dignum vsum sacramentorum exactissimè peragantur. Cum ergo ostensum sit religionem hanc, etiam ex ea parte qua perficit sacerdotes in ordine ad actiones spirituales circa proximos, intimè includere vitam contemplatiuam, multo magis illam includet quatenus eosdem perficit in sacerdotilibus actionibus diuinorum mysteriorum, nam in his potissima pars vitæ contemplatiuæ consistit.

Quomodo Societas tam multæ actioni simul cum contemplatione possit satisfacere?

IX.
Ad alteram
partem dis-
cussam
in 8.3.

Deum uni-
cuique reli-
gioni gratia
suo instituto
accommo-
datam co-
municare.

Atque ex his difficile non est tollere admirationem, quæ in num. 3. obieciatur: Scilicet, qui fieri possit, ut tam multa actio, quam Societas proficetur, cum perfectâ contemplatione coniungatur? Respondemus enim in primis hoc non esse impossibile cum diuina gratia; & quamuis id difficile videatur, perfectam tamen virtutem circa difficile versari, atque ita difficultatem illam, per religionis prouidentiam, & perfectam institutionem, cum vocationis gratia posse superari. Dico autem cum vocationis gratia, cum quia nemo pro ratione sui status potest pie viuere, nedum perfectè, sine speciali gratia Dei, tum etiam, quia pie credendum est, vel potius est moraliter certum, Deum unicuique religioni dare specialem gratiam quam communicat omnibus, qui ab Spiritu sancto ad illam vocantur, si per illos non steterit, ut finem illius instituti consequi valeant. Sic enim dixit D. Thom. in 4. d. 2. q. 1. artic. 2. ad 9. ad quamlibet eminentiam status dari aliquam sanctitatem, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiæ. Et d. 38. q. 1. art. 5. ad 2. dixit. In consecratione virginum, & alijs huiusmodi benedictionibus dari gratiam, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis. Cuius locutionis sensus non est, per hos actus dari aliquam gratiam ex opere operato, cum non sint sacramenta, nec de hoc possit assignari certa aliqua lex, imò neque speciale priuilegium eis esse concessum, cum sufficienti fundamento dici potest. Sensus ergo est de speciali gratia auxiliante, excitante, & adiuuante, quam Deus, quantum in ipso est, maiorem, & specialem tribuit his, quos in speciali statu, ac munere constituit, ad cuius conuenientem vsum illa indigent. Quo principio vsum est etiam idem D. Tho. 3. p. quæst. 27. art. 5. ad 1. & à nobis confirmatum est in 2. tom. 3. p. disp. 1. sect. 2. ad finem, & disput. 3. sect. 5. ration. 3. ubi ex Scriptura, & Patribus illud confirmauimus. Quibus addi potest illud Pauli ad Ephes. 3. Eius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum virtutem operationis eius: mihi enim sanctorum minime data est gratia, ut angelizare inuisibiles diuini Christi, &c. Atque hoc voluit Deus significare Moyli, quando se excusanti à diuino ministerio, eo quod ad illud imparem se agnosceret, respondit, Ego sum: hoc enim verbo non tantum speciale pri-

uilegium, sed suauis etiam dispositio prouidentie diuinæ significata est, dantis unicuique gratiam muneri vel statui ab ipso Deo instituto accommodatam. Cum ergo omnes religiones approbatae merito censentur speciali Dei prouidentia institutæ, dubitandum non est, quin singulæ habeant paratum speciale Dei auxilium suæ vocationi proportionati, ac proinde eò maius, quod institutum fuerit altius, ac difficilius, & ad maius Dei obsequium, maioremque Ecclesiæ vtilitatem ordinatum. Ostendimus autem in Societatis instituto hæc omnia excellenti quodam modo inueniri: scilicet, approbationem, institutionem, ex Spiritus sancti instinctu, intentionem diuini cultus & gloriæ, cum grauissimo munere, & onere procurandi salutem animarum; ergo dubitari non potest, quin habeat à Deo paratam specialem vocationis gratiam, quæ prædictum finem comparare valeat. Atque huius gratiæ vocationis videtur nobis præbuisse testimonium Gregor. XIII. constitutione, *Quamuis fructuosus*, & in alia bulla, *Ascendente Domino*, cum dixit: *Sicut Societas ista est propagatio, & diffusio fidei, animarumque in via, & doctrina Christiana a progressu: ita etiam gratia vocationis proprium esse, diuersa loca ex Romani Pontificis vniuersis generalis directione peragere*. Nā quia ille actus, & difficilior, & periculosior alijs esse potest, ideo gratia vocationis specialiter illum attribuit. Sic ergo nos dicimus, si quæ est difficultas in coniungenda perfectione vitæ actiue, cum perfectione vitæ contemplatiuæ, per gratiam vocationis non difficile superari posse.

Addo verò ulterius, si attentè consideremus ea quæ diximus, non esse in eo negotio nimis magnam difficultatem: quia principales actiones, in quibus vita actiua Societatis versatur, ita sunt communia cum vita contemplatiua, ut veluti ex corpore, & animo vnum quid ex illis efficiatur: quamuis autem plura, ut plura, intendere difficile sit; quæ de causa Ecclesiastici n. dicitur, *filii, ne in multis sitis estis tui*. Et Luc. 10. Marthæ declaratur vnum esse necessarium, quod August. & alij Patres vnicuique vite contemplatiuæ negotio, seu otio exponunt. Plura tamen per modum vnius intendere non est difficile. Exemplo ab speculatione, & doctrina aliarum scientiarum sumptum, rem declaro. Longe enim diuersum videtur docere, & speculari, scribere, aut meditari; tamen hæc duo munia non se impediunt, neque vnum ratione alterius difficilius redditur, quia vnum ex alio oritur: & tunc rectè doctrina traditur, quando interior veritatis speculatio perfecta est. Ita verò se habet contemplatio ad prædictas Societatis actiones, & ideo illam per se non impediunt. Eò vel maximè, quod tales actiones, ut perfectæ fiant, duas circumstantias ad contemplatiuum partem maximè pertinentes, per se requirunt. Vna est, ut fiant intuitu maioris gloriæ, & obsequij diuini, & quod semper, aut frequenter, quoad fieri potest, illuc referantur, de quo frequenter filij Societatis in suis constitutionibus admonentur, ut videre possint in 3. p. Constit. ca. 1. §. 26. & p. 7. c. 1. §. 1. & c. 2. per totum, & p. 8. cap. 1. §. 1. & ideo in p. 10. §. 2. dicitur, ad conseruationem, & incrementum spiritus Societatis, atque ad assequutionem finis, quem sibi præfigit, auxiliariunum ad vltimum & s. per naturalem suum finem consequi. Eadem, modum illa, quæ cum Deo instrumentum coniungunt ac subsistentia illa, quæ a diuina manu rectè gubernantur, esse assumunt, ut a diuina manu rectè gubernentur. Huiusmodi præquam quæ illud disponunt erga homines. Huiusmodi diuinitas, & virtus, ac præcipue, charitas, & puritas, etiam diuini seruiunt, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionibus exercitur. Qui modus operandi perfectissimus est, & exercitur. Qui modus operandi maximè confertur, qui assiduam Dei memoriam maximè confertur, ut latè explicat Basilius regul. 5. ex fusius disputatis, & attingit in breuioribus regul. 195. & 196. Alia circumstantia, quæ ex dictis facile colligitur, est, ut talia opera

opera sunt cum actuali oratione, ac petitione diuini auxilij. Quia cum in illis omnibus homo semper operari debeat vt Dei instrumentum, à quo debet efficaciam illorum expectare, tunc perfectè sunt, quando prædicta oratio cum eis adiungitur. Igitur si debito modo tales actiones fiant, ex se non impediunt perfectionem vitæ contemplatiuæ, sed potius ex se iuuant. Et quanuis contingat aliquando impedire actualem quandam interiorem suauitatem & dulcedinem, illud non est substantiale detrimentum, multòque magis perfectionem auget opus charitatis erga proximos propter Deum factum. Propter quod dixit Greg. i. p. Pastoralis cap. 5. ad finem. Sui nonnulli, qui magnis muneribus dicuntur solius contemplationis studiis inardescunt, perire vitæ proximatorum prædicatione refugium, secretum quietis diligunt, se ipsam speculationem persequi: de quo si districtè iudicatur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesset potuerant: quia enim mente, qui proximis profuturus consisteret, utilitati casuorum secretum proponit suum, quando ipse summum Patris vigenus, vt multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?

C A P V T VII.

In quo gradu perfectionis Societatis religio consistit.

I. Quamuis omnis religio sit actus perfectionis, tamen non omnes in perfectione querenda æquales sunt, quia non omnes omnia consiliorum opera exercent, & ideo quædam in altioribus versantur, quam alie, iuxta varios fines proximos in quos tendunt, vt in superioribus visum est. Et ideo ad perfectam noticiam Societatis tradendam necesse est, quantum sine inuidia, & arrogancia fieri possit, quem gradum in hoc ordine perfectionis attingat, explicare. Quod quidem in his, quæ hæc tunc diximus tam clare continetur, vt noua expositione non indigeat. Tamen vt aliquorum obiectionibus satisfaceret, hoc omittere non potuimus. Aliqui enim Societatem magnæ imperfectionis arguunt, tam in munere vitæ actiuæ, quam contemplatiuæ; vnde concludere conantur, illius institutum valde imperfectum esse. Priorem partem ad vitam contemplatiuam pertinentem, ex eo colligunt, quod Societas præcipuum huius vitæ munus, quod in psalmodia & diuinis laudibus decantandis consistit, non fungatur. Et ideo omnes antiquiores religionum institutores hanc præcipuè in suis regulis commendauerunt, vt constat ex Basilio frequenter in suis regulis, tam fusiùs, quam breuius disputatis, & Benedicto in sua regula à cap. 9. per plura frequentia, & ex Augustino etiam in sua regula, quos omnes posteriores religiones imitæ sunt, præsertim mendicantes, quæ ex vi sui instituti eleemosynas fidelium aluntur, & hac ratione videntur speciali titulo obligari ad diuina officia publice decantanda. Propter quod Sor. de Iust. li. 10. q. 5. art. 3. circa finem cum dixisset religionem approbatas teneri officium diuinum in communi celebrare, quia illud est præcipuum contemplationis munus, subdit: Loquor de regularibus, antiquis: nam si alius religionis modus circa huiusmodi obligationem admittatur, cerè vix nomen religionis meretur, quippe que maximo splendore religionis caret: Quem imitatus est Trullo li. 2. Ordin. Canon. c. 12.

Prima obiectio quædam in Societatem, quod choros non habeat.

II. Secunda obiectio in eandem Societatem, quod iustitiam non agat.

Altera pars pertinet ad vitam actiuam ex alio capite sumitur, scilicet, quia magna portio huius vitæ consistit in actibus pertinentibus ad penitentiam, afflictionem, & austeritatem corporis, & in vniuersum loquendo, huiusmodi penitentia, & austeritatis exercitia maxime necessaria sunt ad perfectionem assequendam. Propter quod omnes

etiam antiquæ religiones in hac vitæ austeritate magna ex parte fundatæ sunt, sicut de antiquis monachis per Egyptum latè refert Euseb. lib. 2. hystoria, ca. 17. & ex Athanasio in vita Antonij, & ex alijs historijs antiquorum Patrum constat. Et D. Basilij esum carniū suis monachis prohibuit. Et author sermon. 1. de communi vita clericorum, alias sermon. 5. ad fratres in eremo, de illis eremitis ait. Postquam eremum intrauerunt, nunquam carnes sumpsērunt, ouino colore, nigerime, asperimoque induti sunt. Et libro 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. mirum in modum Augustinus exaggerat, & laudat seuerissimam antiquorum cœnobarum, & eremitarum vitam. De qua multa etiam apud Hieronymum. in epistol. 22. ad Eustochium de custodia virginis, præter alia quæ epistol. 4. 13. & alijs de hoc genere vitæ commendat. Sanctus etiam Martinus (vt in eius vita refert Sulpicius) vsum vini in suo monasterio suis monachis interdicebat. Benedictus etiam in sua regula cap. 39. à carnibus voluit abstinere monachos præter debiles, & infirmos. Quod seruari præcipitur in cap. Cum ad monasterium. de statu monachorum. vbi etiam linea camisia prohibentur monachis. Vnde in cap. carnem (inquit Fructuosus Episcopus) cuiquam monacho, nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia, non quod creaturam Dei indigne indignam, sed quod carnis abstinentia utilis & apta monachis asstinetur. D. Diuus Gregor. in epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, vt refertur in cap. denique. d. 4. Sacerdotes (inquit) & Diaconi, & reliqui omnes, quæ dignitas Ecclesiæ, ad exornat, à quibus quædam propositum ieiunandi suscipiant. Et subdit rationem ad rem præsentem multum pertinentem; Quo & aliquid ad presens sanctæ institutionis adiungunt, & eorum qui in laicali ordine consistunt obferuntur. sicut i. co. 12. ita religio præcellat. At verò Societas non solum antiquam religionum austeritatem non imitatur, verum etiam in hoc genere ferè nihil peculiare proficitur, præterea, quæ ex communi vfu, vel præcepto Ecclesiæ omnes obseruare tenentur. Est ergo in hac parte valde imperfecta, Chritique, & Apostolorum vestigia non sequitur; vt modernus quidam in illam tacite obiecit, præter alia quæ in lib. 9. ca. 7. agendo de vfu exercitiorum asseremus.

Author sermonum ad fratres.

Auendanti. tract. 11. in Psal. Beati immaculati. v. 3.

Societatem ex vi sui instituti perfectissimam religionem esse.

Nihilominus dicendum est, religionem hanc ex vi sui instituti perfectissimam esse, ita vt supremo ordine statuum religionum constituta sit, & in eo non infimum gradum teneat. Vt sensum conclusionis explicem, suppono quod in tractatu 3. lib. 1. c. 6. cum D. Thom. ostensum est, religiones, quæ puram vitam contemplatiuam profitentur, ex suo genere perfectiores esse illis, quæ ex vi sui instituti vtramque vitam apprehendunt, vtrisque perfectiores esse. Ex quo D. Thom. q. 88. art. 6. concludit. Summum gradum in religionibus tenent qui ordinantur ad docendum, & prædicandum. In hoc ergo sensu dicimus religionem Societatis in supremo ordine perfectionis religiosæ constitutam esse. Quod supposito dicto principio euidenter concluditur ex his, quæ de fine huius religionis diximus in cap. 1. ostensum est enim religionem hanc esse institutam per se, & directè, tam ad opera vitæ contemplatiuæ, quam actiuæ, & ad docendum, & prædicandum; & ad alia spiritualia opera circa proximos exercenda cum maxima perfectione, & propensione.

III.

Notatio ad probationem.

Suadetur prima pars primo.

Secundò, potest hoc explicari ex alio principio posito, quod Societas per se est religio presbyterorum. Nam loquendo ex genere, religio clericorum perfectior est, quam religio monachorum, quod

IV.

Suadetur secundo.